

1102, enero, 11. Letrán

El papa Pascual II confirma determinados privilegios concedidos por sus antecesores a Montearagón y establece la forma de elección de su abad.

Paschalis episcopus seruus seruorum Dei Karissimo filio Eximino preposito et ceteris fratribus canonice Domini Nostri Ihesu Nazareni eorumque successorum regulariter victuris in perpetuum. Sicut iniusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, sic legitima desiderantium non est differanda (*sic*) petitio. Proinde tam uestris quam egregii regis Petri petitionibus non difficulter accommodamus effectum. Predecessoris siquidem nostri sanctae memorie Urbani secundi uestigiis insistentes, tam uos quam uestra omnia sedis apostolice auctoritate munimus. Vite itaque

¹⁴¹ Hay una arruga en el pergamino y se lee con dificultad, pero se puede completar con los nombres del documento anterior, de la misma fecha.

kanonice ordinem quem professi estis presentis priuilegii auctoritate firmamus. Et ne cui post professionem exhibitam proprium quid habere neue sine prepositi uel congregationis licentia de claustro discedere liceat interdicens, quod si discesserit et commonitus redire contempserit, tibi tuisque successoribus facultas sit eiusmodi ubilibet a suis officiis interdicare, interdictum uero nullus episcoporum abbatumue suscipiat. Preterea constituimus ut ab omnium omnino hominum cuiuscumque sint ordinis iugo liberi maneatis, solique sancte et apostolice romane ecclesie subditi tranquille et quiete sub regulari disciplina omnipotenti Domino seruiatis. Uobis etiam uestrisque successoris cappellas omnes iuris ex more prouinciarum illarum regii confirmamus, quas uel Sancius rex uel supradictus eius filius Petrus tam regni quam probitatis heres pro Dei et domini nostri Ihesu Nazareni reuerentia uestre ecclesie subdiderunt, saluo episcoporum iure quod in eis hactenus habuerint. Consecratione uidelicet ecclesiarum et clericorum et quarta parte decimarum si tamen idem episcopi catholici fuerint et gratiam atque communionem apostolice sedis habuerint. Quarum profecto cappellarum hae inter Galliconem et Alkanatrem fluuios site sunt, ecclesia de Luar et de Aierb et de Boleia et de Lopeie¹⁴² et de Sancta Eulalia et de Lauata et de Bespen et de Petraselz et de Almonia, et de Ualle Longa et de Uiuiluc et de Arbanes et de Septimo et de Castello Sauals et de Arrobres. Confirmamus et cetera omnia que supradicti reges uel quicumque fidelium uestre ecclesie de suis facultatibus optulerunt aut pontificum quilibet de iure proprio concesserunt et quecumque in futurum annuente Domino iuste ac legitime poteritis adipisci. Illam sane commutationem quam cum uenerabilis memorie Petro iacensi seu oscitano episcopo quondam fecistis, ratam manere permittimus, ut uos uestrisque successores quarta decimarum parte de toto Monte Aragone potiamini, oscitanus uero episcopus de ipsa oscitana urbe decimarum alteram medietatem quam uos accipere consueueratis habeat. In ceteris omnibus supradicti Sancii regis donatio siue testamentum uobis integre conseruetur sicut predecessoris nostri superius nominati priuilegio sancitum uidetur, uidelicet ut exceptis predictarum cappellarum decimis omnium omnino decimarum ex tota noua terra culta uel inculta, que est inter duo flumina, id est Galliconem et Alkanatrem, medietas uestre semper congregationi eccle-

¹⁴² Así en el pergamino, a mi juicio puede ser una mala transcripción de Lupiñén.

sieque reddatur, sicut saracenorum tempore almutegenarum et nouenarum et omnium redituum medietas reddebatur libere et ingenue. De laboribus quoque domus regie decimarum medietas sicut assolet in uestros medietas altera in usus cedat episcopi et episcopalis cathedre clericorum. Ad hec decernimus ut nulli omnino hominum liceat eandem ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones inuadere auferre uel ablatas retinere uel iniuste datas suis usibus uendicare minuere uel temerariis uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum susten[t]atione et gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Obeunte te quem nos eiusdem loci abbatem propensioris caritatis gratia constituimus uel tuorum quolibet successorum, nullus ibi surreptionis astitia (*sic*) uel uiolentia aliqua preponatur nisi quem fratres communi consensu uel fratrum pars saniore consilio regulariter cum timore Dei sibi preesse prouiderint et hoc ipsum consilio regis Petri successorumque eius, qui eandem deuotionem et obedientiam beato Petro eiusque uicariis exhibuerint. Consecrationes altarium siue basilicarum ordinationes clericorum ab episcopo ipsius diocesis suscipietis, si tamen catholicus existens gratiam et communionem apostolice sedis habuerit et ea uobis inpendere gratis et sine prauitate uoluerit, sin autem liceat uobis catholicum, quem uolueritis, adire antistitem. Porro nulli episcopo liceat eiusdem ecclesie fratres quos in romane ecclesie filios speciali dilectione as[su]mpsimus¹⁴³, excommunicare aut diuinum eis officium interdiceret sed sub sola sedis apostolice protectione ac iudicio liberi annuente Domino securique permaneant. Sane ad indicium huius percepte a romana ecclesia libertatis unam auri unciam per annos singulos Lateranensi palatio persoluetis. Si quis sane in crastinum archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps, marchio, dux, comes, uicecomes, iudex aut ecclesiastica quilibet secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tertioque commonita si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesie iusta seruantibus sit pax domini nostri Iesu

¹⁴³ Hay un roto en el pergamino.

Christi quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem præmia eterne pacis inueniant. Amen. Amen. Amen. Scriptum per manum Petri notarii regionarii et scriniarii sacri palatii.

Ego Paschalis Catholice Ecclesie Episcopus s[ub]s[cribo].

Rota y Bene Valete.

Datum Laterani per manum Iohannis Sancte Romane ecclesie (*roto*) cardinali III idvs ianuarii Indictione X^a Incarnationis Dominice anno MCII [ponti]ficatus autem domni [Paschalis secundi] pape anno III^o.

AHN. Clero. Montearagón. Carp. 622, n.º 7.

Publica Kehr, Papsturkunden..., n.º 20.